

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XVII. Arbores in Deorum tutela.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

sibi exitium insolentia parat. Noctuae cicada crebro conuicium longe acerbissimum faciebat, quod luminis impatiens noctu ageret praedas; interdiu vero somnum caperet ramis arborum cauis. Rogata vt tacaret, clamans multo magis iniurias cumulat. Iterantur preces, parcere aliis, atque sibi cauere velit. Tanto vero illa magis exacerbatur et dictaria repetit. Noctua, vt vedit, nullum gratiae aut precibus relinquere locum, impudenter deblaterrantem infidiis aggreditur. Quia, inquit, dormire iam non possum, captus mira cantus tui suauitate, qui prorsus Apollinis cithara mihi resonare videtur: neectar interea temporis degustare per placet, quod Palladis liberalitate nuper accepi. Nisi fastidio spernis, veni ad me, vt bibere possimus vna. Cicada, quae cantu pene fatigata, longe maximam sentiebat fitim, suaque sibi placebat laudata voce, ad compotationem cupide properat. Noctua vero satis adhuc conuiciis laesa, cauo, vbi latibabat, egreditur ramo, miseramque bestiolam, voce, alis, pedibus, ac toto corpore trepidantem arripit ac enecat: vt, quod viua negarat, filaret tandem, atque sibi exoptatum adeo concederet otium.

FAB. XVII.

Arbores in Deorum tutela.

Olim quas vellent esse in tutela sua,
Diui legerunt arbores. Quercus Ioui,
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,



Pinus Cybelae, populus celsa Herculi.
 Minerua admirans, quare steriles sumerent,
 Interrogauit. Caussam dixit Iupiter:
 Honore fructum ne videamur vendere.
 At me hercule narrabit, quod quis voluerit,
 Oliua nobis propter fructum est gratior.
 Tunc sic Deorum genitor, atq; hominum sator:
 Onata! merito sapiens dicere omnibus:
 Nisi vtile est, quod facimus, stulta est gloria.
 Nihil agere, quod non profit, fabella admonet.

Res optime commendat usus.

Dii olim arbores elegerunt, quas haberent in tutela perpetuo sacras sibi. Quercum summis Jupiter, myrtum Venus, lauream Apollo, pinum Cybele, populum Hercules. Sed Minerua quid egerint admirata, quaesivit tandem, cur sibi elegerint arbores, quarum fructus ipsis nihil prodeesse queant. Caussam hanc Iupiter esse dixit, quod suus cuique sufficeret honos, atque gratis superum quisque arborem patrocinio mallet dignari suo. At illa: quicquid quisque dicat; oliua mihi vel propter fructus iucundior longe. Tum Iupiter, o filia! inquit, tu recte sapis, ac merito soles ab omnibus annumerari doctis, artibus praefecta ingenuis. Nisi enim, quae agimus, commodi nobis aliquid affert, stulta et inanis reputanda est gloria. Haec fabula docet, eum sumendum esse laborem, ex quo fructus in nos cum laude coniuncti redundant.

FAB.



FAB. XVIII.

Pauo ad Iunonem.

Pauo ad Iunonem venit, indigne ferens,
 Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:
 Illam esse cunctis avibus admirabilem,
 Se derideri, simul ac vocem miserit.
 Tunc consolandi gratia, dixit Dea:
 Sed forma vincis, vincis magnitudine;
 Nitor Smaragdi collo praefulget tuo,
 Pietisque plumis gemmeam caudam explicas.
 Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
 Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae, 10
 Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
 Augurium coruo, laeva cornici omina,
 Omnes quae propriis sunt contentae vocibus.
 Noli affectare, quod tibi non est datum:
Delusa ne spes ad querelam recidat. 15

Donis gaudeat quisque suis.

Pauo Iunonem adit, multumque de lusci-
 niae cantu conquestus, quod Dea sibi negauer-
 it: auiculam, dicit, illam summis ubique ef-
 ferri laudibus; se contra despiciatui habitum
 fastidiri, quamprimum vocem ediderit. At
 Iuno alitem ut consolaretur suam, tu contra,
 inquit, forma praestas omnibus, ac insigni cor-
 poris magnitudine. Tanta collo tuo praeful-
 get species, quae ipsum smaragdi nitorem lon-
 ge superat: et quoties lubet versicolorem qua-
 tot gemmis distinctam oculatamque potes in
 gyros explicare caudam. Atqui muta species
 illa quid me iuuare potest? Adeone frustra
 vide.